

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Ad sanctam memoriam serenissimi principis ac Domini
Caroli Ludovici principis hereditarii Badensis cet
celebrandam moestum auditorium**

Engelhart, Johann Henricus

Londini Gothorum, 1802

[urn:nbn:de:bsz:31-10140](#)

043 B. 62,5

AD

SANTAM MEMORIAM

SERENISSIMI PRINCIPIS

AC

DOMINI

CAROLI LUDOVICI

PRINCIPIS HEREDITARII BADENSIS

CELEBRANDAM VQ. NOV.

MOESTUM AUDITORIUM

INVITAT

REGIE ACADEMIE CAROLINAE

RECTOR

JOH. HENR. ENGELHART,

SACR. REG. MAJEST. MEDIC. PRIMAR.

MEDICIN. PRACT. PROFESS. ORDINAR.

LONDINI GOTHORUM

LITTERIS BERLINGIANIS,

(1803)

AD

ПѢСѢХОМНІЕ ВѢДѢХА

СЕРГІУС СІМІОНІС ТРИНІЦІІС

AC

DOMINI

CAROLO DUCALI
EGLI È SÌ GIUSTO,

Si clemente e gentil, schivo di lodi,

Amico sol di verita, cortese

Senza bassezza, maestoso e grave,

Ma senza orgoglio, liberal per scelta,

Non per capriccio, le private offese

Facile a perdonar, pronto e veloce

Le pubbliche a punir, dolce fra suoi,

Terribili fra inimici.

GALOTTO MANFREDI,

Tragédia,

АНДІОРДО ГЕНДЕЛІА АРДІА

НОТОЖІ

СОН. ГЕНДЕЛІА

СОН. ГЕНДЕЛІА МІДІК СІМІОНІ

МІДІК СІМІОНІ ТІОЛІС ОДІМІНІ

ЛОНДІН ГЕНДЕЛІА

ЛОНДІН ГЕНДЕЛІА

042B67, S.121 RH

Z

non adhuc sit e signis? inquit ut omnis similesq; nisi
omni autem signi sicut sic non aliis quod obicitur ob
sistat invenit hunc rufum tunc illi exstab ille
blus invenit

*Nam præcipere qualis esse debeat princeps, pulchrum quidem,
sed onerosum, ac prope superbum est: laudare vero optimum
principem, ac per hoc posteris, velut e specula, lumen quod se-
quantur ostendere, idem utilitatis habet, arrogantiæ nihil.*

PLIN. Ep.

BONI cujuscumque hominis mortem, publicum damnum boni
omnes habent. Quod si justum, ut est omnino justissimum, in
quanta non calamitate mors boni Principis ducenda! Aut enim
ego fallor, aut non tam propter honorem, quam propter utilitatem,
summum inter homines locum occupant Principes. Altissimum
gradum tenent hi Dii in terris, ut emineant; eminent vero, non
solum ut dignitate conspectiores evadant, sed etiam maxime, ut suis
virtutibus subjectis civibus exemplo sint, ac per hoc optime, effica-
cissimeque, veræ horum saluti prospiciant. Omnis quoque ævi hi-
storia testatur, maximam, ad civium vitam singendam formandam
que, vim habere Principum mores. O beatas igitur gentes, qui-
bus bonos Principes divina largita est providentia! O infelices,
quas illos, præmaturo exitu raptos, mœrere acerba cogit necessi-
tas! Hoc tale infortunium, morte Principis sui hereditarii, CAROLI
LUDOVICI, gens nuper experta est Badensis. Tanta autem vis
fuit

fuit præcellentis virtutis, ut optimi Principis e vita discessus non modo Badensem populum, cui hic casus in primis funestus, summo afficerit dolore, sed aliis etiam gentibus haud mediocrem intulerit mœstitiam. Æquum enim est atque justum, ut mortuum multi lacrimis prosequantur, qui vivus multorum felicitatis auctor fuit. Ut autem appareat, quo jure hæc de beatissime defuncto Principe dixerim, meque nihil adulationi, omnia veritati dedisse, vitam ILLIUS, moresque, animo contemplari liceat.

CAROLO LUDOVICO principatum atque imperium natales destinaverant, illis dignum reddidit educatio; fortunæ illud, hoc virtutis fuit: virtutis, inquam, cum Principis juvenis, qui patientem culturæ commodaret aurem, tum in primis augustissimorum optimorumque Parentum, qui patriæ Pueri institutioni IPSI præsent, nihil bonis Principibus indignum rati, quod bonos parentes non dedecret. Ut omnibus virtutibus, ita pietate erga Deum, omnium virtutum fundamento, Badenses semper eminuerunt Principes. Non igitur mirum, ab ipsis incunabulis religione Nostrum studiosius fuisse imbutum, & pio omnipotens Dei cultu, nostræque religionis tutela, nihil ILLI unquam fuisse sanctius. Quam quidem pietatem non modo palam ostendebat, cum ab hominibus observaretur; sed etiam in solitudine & recessu colebat, cum non nisi divinum, cui supplicaret, numen testis esset atque judex. Non deliciis soluta illius infantia, nec indulgentia fracta fuit pueritia, sed cuique ætati sua accommodata studia, suæ artes, in quibus omnibus tantos fecit progressus, ut, etiam nulla excelsi generis habita ratione, eruditio atque doctrinæ laus ILLI merito tribueretur. Græcis Latinisque litteris politissimus, antiquos ita mirabatur, ut nostrorum temporum ingenia non despiceret: mature enim didicit, sapientis ac boni esse, ad sui se sæculi formam accommodare, tempore servire, dummodo salva virtute fieri possit. Jam vero, cum essent studia PRINCIPIS extra limen proferenda, non optimam scholam augustissimus PATER aulam judicavit, ubi quales videri cupiant, quam quales sint, homines sæpius inveneris. Principi, cui imperium destinatum, nulla certe utilior cognitio, quam illius gen-

tis,

tis, terræque, quibus imperabit. NOSTER igitur, ipso PATRE duce & comite, Badenses regiones atque urbes sèpius invisit. Quæ quidem itinera, cum PRINCIPI, tum Populo, gratissima fuerunt: ILLI, quod præsentem patriæ salutem magni PARENTIS virtutibus deberi, intelligeret; huic, quod lætissimam futuræ felicitatis spem in FILIO collocaret. Multorum hominum vidisse mores, variarumque gentium leges & instituta, non ex libris solum, sed usu etiam & consuetudine didicisse, ut nemini inutile, ita Principibus in primis maximam effert utilitatem. Quod cum perspicerent sapientissimi PARENTES, peregrinationum quoque comitem imperii Heredem voluerunt. NOSTER autem, apud quamcumque versaretur gentem, Regum atque Principum sibi conciliavit amicitiam ac voluntatem, venerationemque populi & amorem. Et profecto, quis non ad ILLIUS se applicaret amicitiam, quem tot virtutes amabilem redde-rent? Quis amore ILLUM non prosequeretur, qui hoc unum ambiret, ut amaretur? Quis Principem non suspiceret ac veneraretur, qui tanto humanitate sua reliquis propior mortalibus, quanto dignitate illis esset excelsior. Imperio CAROLUS LUDOVICUS natus, ita fuit educatus, quasi semper obsecuturus. Quo factum est, ut, crescente ætate, NOSTRO non nasceretur imperandi libido, sed incresceret potius obtemperandi alacritas. In ILLO, non tantum puero adhuc, & juvēne, sed viro etiam, & sui juris factō, & jam patre, summa erga Parentes pietas, par obsequium; neque aliquid ILLI magis in votis, quam ut longissime abeasset dies, quo ad imperium vocaretur. Sapientissimus autem PATER, qui non minus populi, quam FILII, sibi curæ haberet salutem, viam Huic monstrare voluit, qua IPSE ad tantum laudis ac gloriæ fastigium pervenit, suoque subiectos imperio felices reddidit. Ut primum igitur decimum octavum NOSTER complevit annum, ad Patris consilium vocatus est, novo quasi sedere Se cum patria, hanc secum deyinēturus, ILLI vero mox oblata occasio, tanta se fide dignum ostendendi. Etenim de abroganda in suis regionibus servitute cum cogitaret PATER, remque ad consilium referret, primus NOSTER, qui non solum humanissimo proposito suffragaretur, sed patriæ etiam PATRI humanitatis nomine gratias ageret, quod Principis potestatem cum

populari libertate tam pulchro vinculo conjungeret. Et sic eo ma-
jorem adeptus est gloriam, quo ceteris bonis libertas præstantior.
Ad Badensis vero cum populi, tum regnaticis Domus felicitatem
quasi cumulus accessit, data in matrimonium NOSTRO Serenissima
Principe, AMALIA FREDERICA, omnibus formæ, ingenii animi-
que virtutibus ornata, & generosissima deinde prole tam faustis
nuptiis beatis. Pater jam factus CAROLUS LUDOVICUS, nihil
sibi sanctius duxit, nihil jucundius, quam Liberorum institutioni
diligentissime invigilare. Cui tam gravi operi Se tanto dedit stu-
dio, idemque tam prospere perfecit, ut laborum & vigiliarum sua-
rum maximos ferret fructus. FILIUM enim unicum ita educavit,
ut spem Badensis jam faciat certissimam, se fore prospeturum,
ne nimium Pater a bonis desideretur; sex vero FILIAS tot for-
mæ illecebris natura instruxit, tot virtutibus cura optimorum PA-
RENTUM ornavit, ut cum Thronis omnes haberentur dignæ, tres
in illos jam sint electæ. Nam quis ignorat, FREDERICAM
VILHELMINAM CAROLINAM, nuptam MAXIMILIANO, anti-
quissimæ splendidissimæque Bavrorum aulæ decus esse atque orna-
mentum? Quis nescit, LUDOVICAM MARIAM AUGUSTAM
(ELISABETHAM ALEXIEWNAM), in matrimonium ALEX-
ANDRO datam, Imperatori tanto dominatu digno, summoque Im-
perio in deliciis esse? Quis demum non gratus atque exsultans agno-
scit Svecus, FREDERICAM DOROTHEAM VILHELMINAM,
divinitus GUSTAVO ADOLPHO junctam, certissimum summi
numinis erga patriam suam bonitatis esse pignus? Quo autem
rarior splendidiorque fortuna, tantis Principibus tam caras dedisse
Conjuges, eo majus NOSTRO augustissimos potentissimosque Gene-
ros visendi desiderium. Magni igitur Patris impetrata venia, itineri
Se commisit, Moscoviam primum, tum Sveciam petiturus. Quam
vero ex hoc itinere avidissime exspectaret voluptatem, re etiam
vera percepit. Vedit ALEXANDRUM, eo potentiores, quo magis
ELISABETHAM suam amaret, eo bonis omnibus cumulatiorem, quo
vehementius ab ILLA amaretur. Vedit GUSTAVUM ADOLPHUM,
felicem imperio, feliciorem populi amore, felicissimum FREDERICÆ
DOROTHEÆ WILHELMINÆ virtutibus. Summa autem ob-
ser-

servantiq; pari amore, Nostrum prosecuti sunt populi, qui tam
 magnam suæ felicitatis partem ILLI debent. Erant etiam IPSI
 tot tamque amabiles virtutes, ut omnium Sibi facile devinci-
 ret animos. Obvius enim ILLE & expositus, utque aditu facilis, ita
 natura comis, atque moribus suavis; beneficis quoque, ac beni-
 gnus, & humanitate plenus; verbo (si modo summatim de tanto
 VIRO dicere liceat): non minus indeole & virtute, quam nomine
 & genere Princeps. Domum jam reversurus CAROLUS
 LUDOVICUS, Holmijæ valedixit, Regiæ domus, totiusque po-
 puli, votis ac desideriis comitatus. Nobis autem utinam hic
 subsistere liceret! Læta haec tenus, atque festa commemora-
 vimus; quæ sequuntur, doloris plenissima. Nondum primi diei
 iter confectum, cum, quo vectus fuit PRINCEPS, vehiculum, nullius
 culpa aut negligentia, sed improviso ac fatali casu, subverteretur.
 Nullam quidem, quæ ocnlis pateret, inde corporis læsionem passus
 est serenissimus PRINCEPS; sed tanta fuit ipsius incussus vis atque
 vehementia, ut cerebri commotionem (medicus medice loquor)
 & Apoplexiā ILLI inferret. Medici, undique convocati, nihil quod
 illorum artis esset, pro tam caro capite servando neglexerunt. Sed
 omnia frustra. Paucas tantum horas spiritum duxit, & xvi:o Decen-
 bris, præteriti anni, sanctam animam efflavit CAROLUS
 LUDOVICUS, longissima vita dignus, cælesti felicitate dignior.
 Ad Socerum, Patremque, properant REX noster, & REGINA. Ca-
 rissimum vero, quem quererent, inanimum jam, serenissimæque
 Conjugis, & Liberorum, lacrimis adhuc madidum invenerunt.
 Acerbissimum autem dolorem, quo non solum augustissima DEFUN-
 CTI Familia fuit affecta, sed qui in omnium etiam animos pene-
 travit, omniumque frontibus infudit, quomodo ego describerem?
 Tacere hic, quam dicere, major forte fuerit eloquentia.

PRINCIPIS tanti memoriam pie ac religiose celebrare, Senatus
 Academicus decrevit. Noster vero interpres erit MATTHIAS
 NORBERG, *Litteraturæ Orientalis & Græcæ Professor celeberrimus*, Orator tam adulandi nescius, quam artis oratoriæ peritus.
 Pulcherrimam imaginem, primis tantum lineis a me designatam,
vivis

vivis ille depinget coloribus, & in clarissima, ut ajunt, luce ponet. Quod quidem eo erit facilius, quo PRINCEPS, dum viveret, ad perfectionem proprius accederet; proprius, inquam, nam homini ulterius progredi non licet. Navi autem, si qui adessent, tales profecto fuerunt, quales in pulchro corpore ipsam pulchritudinem augere, elegantes dicunt formarum spectatores.

MAGNAM vero felicitatem agnoscimus, licere nobis sperare, fore, ut Summus noster Mæcenas, Cancellarius Regiæ Academiæ Carolinæ Excellentissimus, Regni Drotzetus, Regiorum Dicasteriorum Praeses, & Regiorum Ordinum Eques & Commendator, Celsissimus Comes, CAROLUS AX. WACHT-MEISTER, honorificentissima Sua præsentia lugubri cærimoniæ veram conciliet dignitatem. Summum hunc & exoptatissimum honorem, tanto fidentius nobis polliceri audemus, quanto major illustrissimi VIRI erga Regiam Domum pietas, in nos gratia atque benevolentia. Hujus etiam Academiæ Pro-Cancellarium Reverendissimum, Magnos Litterarum Patronos, Honoratos Hospites, Patres denique Civesque, Academicos & Urbicos, reverenter ac peroffciose rogo, velint crastino die, qui est hujus mensis XVII, horis solito campanæ sono indicandis, in Auditorio Carolino majori frequentes convenire, Panegyrico diendo animos & aures daturi.

P. P. Londini Gothorum, die XVI Maji, A. MDCCCI.

